Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XX

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

deantur. In interaneis illorum, neſcio quid turbinatum eſt, quod cordis vel hepatis naturam habere dixeris, ſed protinus diffluit & diſſolvitur. Oleæ ſunt amantiſſimi. Nam ſi ramus in mare, in quo ſunt, demiſſus & detentus fuerit, haud pauci circa ramos impliciti capiuntur. Ficubus ad mare natis fixi, fructumque mandentes, deprehenduntur interdum. Locuſtis etiam mirifice delectantur, cujus rei teſtimonium apud *Petrum Berchorium* luculentiſſimum invenitur. *Audivi*, inquit, *narrari, quod piſcatores in mari Provinciæ, in littore ſuper carbones locuſtas decoqui poſuerant, & cum circa ignem dormirent, ecce unus Polypus odore locuſtæ tractus, de mari exit, & ad ignem veniens, ac cum pede locuſtam accipere volens, ſed calorem ignis timens, ad mare rediit, & quandam tunicam quam loco caputii habet ſuper caput, aqua implens toties eundo & redeundo, ſuper ignem projecit, ut ipſum extingueret, & ſic locuſtam accipiens ſecum ad mare detuliſſet, niſi unus de piſcatoribus, qui hoc videbat, ipſum accepiſſet, & loco locuſtæ ſuper carbones comedendum poſuiſſet.*

CAPUT XX.

DE PEDICULO & PULICE.

P*Ediculos* quidam ex carne gigni exiſtimant, & ſanguine nonnulli. At falſum utrumque. Nam primo in cute capitis naſci, in ſecunda & tertia hecticæ ſpecie abundare ſcimus; cum tamen & ibi minima ſit carnis portio, & hic maxime conſumantur. Deinde in febribus putridis, nullus illorum proventus eſt, & orta principiis ſuis atteſtantur. Has non atteſtari ſanguini, coloris oſtendit ratio. A materia igitur putri calida & humida, quæ in cute redundat, oriri quibuſdam videtur, in locis difflationi non patentibus. Deſerere mortuos experientia docuit, vel quia defuncti extincto calore refrigeratur ſanguis; vel quia frigidus mor-

mortuus eſt, ſi frigus fugiunt. *Nolanus problem.* 225. Qui ficubus frequenter veſcuntur, tentari putantur iiſdem. Cauſam in illarum ſucco ponit *Nolanus.* Hic enim in venis adauctus concalefacit ſanguinem, atque humidum deſpumeſcentemque efficit, qui quia natura ſua ad cutem tendit, ſubque illa retentus putreſcit, in pediculos vertitur. Certe ficus comeſſantes tubercula & verrucas in cute oriri ſentiunt. *Pulex* animal exile eſt, aurea tamen ab artifice Africano revinctum catena fuiſſe, & ſaliiſſe tradit *Scaliger Ex* 59. & 326. Frequentiſſime partem illam, quæ ſubeſt inguinibus, lancinat. Quarta die tumor creſcere incipit, ad juſtam cum pervenerit magnitudinem piſum ſuperat, & ſcatet lendinibus. Radice Anchuſæ necantur: quin ſalvia contuſa & oleo ac aceto permiſta, contra eoſdem illinitur. Optimum bombicinum. In hoc enim, lecto ſi impoſueris, congregari dicuntur. *Franciſcus Georgius Venetus* Minovitonus, acrius in lino infeſtare ſcribit, quam lana. Cauſam addit, quia ex eodem fonte Aquilonari prodeunt. Vtrumque enim Arietinum eſt & Martium. At *Aldrovandus* fieri exiſtimat, quoniam linum quam lana corpori vicinius eſt. Vnde in plicis camiſiarum reperiuntur eſurientes, in femoralium ſaturi, ubi & ova deponunt.

CAPUT XXI.

DE SCARABEO & SEPIA.

IN Thraciæ Chalcida, quæ proxima Olyntho, paulo major area eſt, Cantharoletron dicitur. In eum ubi aliquod pervenerit animal, ab horreſcentia diſcedit, incolume tamen, ſolus ſcarabeus, locum circum ambiens, fame denique emoritur. *Ariſt. in admirandis.* Inter ſcarabeos, fœmina non naſcitur, ſed eam, cum rotundam ex bubulo ſtercore effinxit figuram, vultu convolvit averſo, ſemine emiſſo gignit. *Clemens Alex. l. 5. ſtrom.* Carabos tamen per coitum